

Q.N. 524,22

B. m. II 47



X1860255

DE
LIBANIO

DISPVATIO PRIMA.

In quam,

DEO BENE IVVANTE,

PRAESIDE

M. IO. GVILELMO BERGERO,

Hala Saxone,

IO. BERNHARDVS Subn/

Qvedlinburgo Saxo

ingredietur

A. D. XIV. Kal. Ianuar.

clō. Iōc. XCVI.

VITEMBERGAE,

Per CHRISTIANVM SCHROEDTERVM,

Acad. Typ.



37. B. J.

7

DE
LIBANIO

DISPUTATIO ALTERA.

Cuius modeste tuendae causa,

PRAESIDE

**M. IO. GVILELMO
BERGERO,**

Hala Saxone,

IO. DANIEL MAVRITIVS,
Mega Thymnicenf. Misn.

In medium prodibit

A. D. Mart.

CIO. IOC. XCIIIX.



VITEMBERGAE,
Prelo **SCHVLZIANO.**

ce di-
naxi-
s, a-
scen-
, qvi
riam,
e bo-
e gra-
s, De-
s, ne
qvo-
nuit,
ipaiū
ius &
pro-
ifertis
urco,
mqve
Grac-
ipem,
conf.
n quid
t non
ens, de
rit, in
ligen-
s, mul-
qvanā
habu-
ec la-
s infe-
do ni-
genus
cul-



DE
L. R. A. N. I. O.

DISPUTATIO DE
GENE DOCTE MEDICAE CAUSIS

M. IO. G. W. I. L. H. E. I. M. O.
P. R. E. S. B. E. R. O.

IO. DANIEL MAURITIUS
M. D. C. C. X. C. I. X.

PROLOGUS
CIC. I. D. C. X. C. I. X.



A. Ω.
ΛΙΒΑΝΙΟΣ. ΦΙΛΟΜΑΘΗΣ. ΚΑΙ.
ΠΟΛΥΜΑΘΗΣ.

I.

Liberale, quod corrumpere ingenia solet, otium cum negotio commutavit, et dedit se in viam, quae difficultatibus impedita quidem est, animosque abiectos gloriae aditu arceat, sed erectos amplo diligentiae praemio invitat, et consequendae immortalitatis spe in cursu laudis confirmat. Tanto acerbius doluit, itineris, quo contendere ad famam nominis coepit, ducem sibi deesse, quum inertibus quibusdam Sophistis in DISCIPLINAM traditus esset, quorum imperitia si non susteret impetum adolescentis, at eius saltem virtutem retardabat. Nam plurimum refert, quo quisque magistro utatur. Socrates Platonem, Plato Aristotelem, uterque Theophrastum, dederunt. Thucydides domi, in illa eloquentiae officina, eos limavit, qui postea vel dicendi, vel scribendi laude, excelluerunt. *Cic. orat.* Nec secus ex Isocratis schola meri principes prodierunt, *idem de orat. II.* Ac Tarquinius apud *Livium, lib. I. cap. XXXV.* regni, quod ille peregrinus petebat, adipiscendi praesidium, haud vanum, posuit in eo quoque, si gloriaretur, *domi militiaeque sub haud poenitendo magistro, ipse Anco rege, Romana se iura, Romanos ritus, didicisse.* Adeo conferamus nos, oportet, ad Lyppum, Praxitelem, Phidiam, si fingere: ad Appellem, Parrhasium, Zeuxidem, si pingere, conemur: ad Homerum Hesiodumque, si Graecum, ad Maronem, et Nasonem, si Latinum, versus adamemus: ad Isocratem et Demosthenem, si Graece, ad Ciceronem, huiusque quam similes, si Latine, dicere studeamus: hoc est, ab optimo quoque addiscamus, quod multis esse partibus absolutum, velimus. Quo minus dubitabat *Fabius lib. II. cap. III.* causam illam: *statimne praeceptore optimo sit vivendum?* in eam disceptare sententiam, ut pervinceret, deligi debere *tam eloquentia, quam moribus, praestantissimum, qui ad Phoenicis Homericum exemplum dicere ac facere, docere quaerit.* Eodemque modo iudicabat *Messala*, quum Materno, causas vi-tiatae eloquentiae requirenti, negaret, *eloquentiam, et ceteras artes, inopia hominum inclinasse.* Verum postea, quam *desidiam iuventutis,*

et negligentiam parentum, idem vituperavit, inscientiam etiam praecipientium accusat, cap. XXIIIX. Non igitur ille naturam, tanquam lassam atque effoetam, arguit, qualis ea Homero iam olim, *Il. u. 383* 449. v. 287, et Vergilio, eius aemulo, *AEn. XII, 900*, et ante eum Lucretio II. ac postea Iuvenali *Sat. XV*, visa est, quippe quam excusarunt, Columella, qua in rem Rust. praefatur, et Fabius l. o. lib. I. c. I., atque ille demum heros in toga, humanissimus Plinius, qui naturam, Caninio, *VI. Ep. 21*, negat, nihil iam parere, quod laude dignum esset; sed in ineptas potius horum temporum doctrinas invecius est. Haud aliter ac LIBANIVM neque ingenii facultas destituit, nec magnarum rerum conatus defecit. Quem tamen, periculum erat, ne praeceptorum inscitia depravaret, nisi adolescens virili profus consilio rem expediisset. Nam profugit ab iis, quos sibi, sciret, fraudi fore. Nec vero destitit coepto, aut taedio laboris, aut desperatione conficiendi negotii, debilitatus, sed maiori quadam cura veterum monumenta evolvit. Tam salubri profecto ratione, ut ad neminem potius, quam ad prisca hos, eosdemque emendatissimos, magistros, eundem ei esset, si quidem insipientiae arcem invadere, neque inventionem modo, verum ipsam etiam artem inveniendi, partiendi, eloqvendi, et, qua hominis est, perfectum Graecae eloquentiae, liberae pariter, et numeris astrictae, instar invenire, vellet. Quo loco tanquam submoniti, gradum paulisper sistimus, et quod identidem doctores illi graves, neque in speciem fallaces, inculcant, illud egregio LIBANI exemplo perspicue admonemur, germanae illius, solidaeque, eruditionis cupido in Graeciam, unde omnis in Latium scientia dimanavit, recedendum esse, et fugiendum morem istorum, qui festinent ad haec nova, certe, quantae demum cunqve illa sunt, tamen nec iudicio, nec doctrina, nec cura denique, cum iis comparanda, quae veteres posteritati reliquerunt. adi Basilium M. ubi ostendit fructum, qui e Graecorum libr. lectione capi possit, ap. Grot. quoque in dict. poet. p. 81. Ed. Paris. compara D. Heinsii Or. XXVI. Rol. Marefii Ep. II. X. orat. Scip. Carteromachi de laud. Graec. Lib. habitam Ven. 1504, et Svavissimi P. Francii Orat. V. in primisque illius Graecae doctrinae Vindiciae, C. S. SCHVRZFLEISCH, τὸ πᾶν, nervosum Program. quo ad Polit. Graec. Human. Cives Ac. imitat.

II. Et si vero LIBANIVM minus fugit, quid quantumque animi contentio efficere possit: idem tamen ne illud quidem ignoravit, solita-

litarium laborem, quamlibet gravem, plurima saepenumero fallere,
 quae alius quispiam, longa rerum meditatione edoctus, perlevi ammo-
 nitu alium quendam sedentem, otiosumque docere iucunde possit. Hac
 mente selegit sibi virum quendam, quo auctore, in literis versaretur.
 Enimvero inter ingenia multum interesse, non e Barclaio demum,
 Neuhufio, Maiore, aliis, perspicimus, sed res loquitur ipsa, quum multi
 hominum multum moveant, iidem autem promoveant, aut parum,
 aut, ut ille apud Comicum, nihil. Aliis contra diviniior naturae habitus
 quamlibet impedita tam explicata reddit, ut nihil tam alte constitue-
 rit natura, quo non eniti virtus eorum posse videatur. Qualem tulit
 quidem Ephesus quondam, sed Graecia omnis magni fecit, Heraclitum
 illum, qui sua, neque alius cuiusdam, ope sapientiam est omnem
 complexus, si verum est, quod ipse dicebat, *μαθεῖν πάντα παρ' ἐαυτοῦ*.
Diog. Laert. lib. IX. Nec vacat iam expromere porro Gv. Budaeum,
 Iac. Cuiacium, M. A. Muretum, Iov. Pontanum, Gv. Postellum, P.
 Ramum, Tanaqv. Fabrum, hisque antiquiores longe, Manlium E-
 qvitem, atque Augustinum, quos, in aliis atque aliis doctrinae gene-
 ribus, non ignoramus, a CL. *Morhofio*, *Polyb. p. 6.* iis annumerari,
 qui semetipfos instituerunt. Verum ut in medio relinquamus, satis-
 ne vere hi, et reliqui, industriae omnia suae accepta referant, quod
 quidem de eodem Heraclito Sotion negabat; inficiandum certe non
 est, homines tam praestantes nobilium usu doctorum multo praestan-
 tiores evadere potuisse. Ac quomodo alioquin eruditionem om-
 nem, sic in praesentia sigillatim eloquentiam, iudicamus, infinito
 prope labore pari, et facile animum remitti, nisi quem asciscamus, qui
ἐκ τῆς ἰμπραξίας ὀμιλά, ut VI. *Nicom. c. XI.* praecipit *Aristoteles*, habe-
 at, facemque nobis praeferat, & molestiarum pertaesos propositi ex-
 pectatione praemii consoletur. Quae contubernii disciplina quam
 apprimemoribus proffit, intellexit, ut multa, praeclare sapiens ille,
 quem *P. Gassendus* asseruit, Epicurus, quum virum aliquem bonum eli-
 gi, ac semper ante oculos poni, iussit. *Sen. Ep. XI.* Quantum eadem ad
 omnem valeat doctrinam, Plinius Geniali significat, quem, ait, *a viro di-*
sertissimo discere posse, quid laudandum, quid reprehendendum: simul ita
instuui, ut verum dicere assuescat. IX. Ep. 13. Perinde ac LIBANIVS cum
 tali viro esse familiariter coepit, cuius consuetudine, admirabile erat,
 quantum adiuvari posset. Nam quum mente agitamus, quibus or-

natum virtutibus esse illum oporteat, qui personam doctoris gerere velit, inter alias laudes intelligentem illum, in tradendo fidum, atque accuratum, iure quodam postulare videmur. Quarum quidem rerum nullam temere hoc in viro desideremus. Erat ille sine dubio studiis optimarum artium eruditus, cuius fidei sese committebant, quibus antiquitas curae erat. Hoc autem utiliore adolescentibus operam navabat, quo paratius cuncta in numerato habebat, adiutus memoria, qua gaudebat, ex prompta. Contra, quam Hermogeni quondam apud *Philostratum*, et *Suidam* b. v. nulli fuit vsui miri vis aciesque ingenii, posteaquam misera rerum oblivio inter senes puerum effecit, qui antehac inter pueros senex dicebatur. Quod si *P. I. Maussacus* acerbius forte, quam verius, eodem memoriae vitio Graecarum literarum iacturam fecisse fertur, Orbilius certe ap. *Tranquillum* Gr. c. IX. quem *oblivionem literarum* Furius appellabat, et *Messala* ap. *Plinium* H. N. lib. VII. c. XXIV, tum, ne alios proferamus, G. Trapezuntius, ap. *P. Jov. in Elog. p. 56. ed. Antv.* et Io. Sleidanus, Deciusque, *Corrasii* praeceptor, *Voss. I. O. lib. V.* ostendant, quanta sit calamitatis, rerum pene omnium oblivisci. At hic, cui sese dedebat **LIBANIVS**, firmiter tenebat, quicquid ex omni scientiarum amplitudine arripuerat, ea mentis vi, quam, prope divinam, extollunt in *Cyro*, *Cynea*, *Pyrrhi* regis legato, *Simonide*, *Themistocle*, *Hortensio* demum, *Lucullo*que; tum in primis in *M. Seneca*, nisi quod senectutis imbecillitas eum afflixit, ut ipse *lib. IV. controu.* principio conquestus est. *Compares licet Andream Schottum.* Nec vero minora, ad propiora si descendas tempora, eius rei documenta dederunt, iuvenis, quem vidit *Muretus*, *Lib. III, V. L. c. IV.* *Corficani*, *Lud.* item *Pontanus*, *Spalatenfis* I. C. Fr. *Svarezius*, Io. *Rainoldus*, *Budaeus*, *Tostatus*, *Ios. Scaliger*, (minus tamen, provectiori aetate, *Scaligerana p. 353.*) quorum totidem veteribus opponit *Io. Ionstonus de Nat. Constant. a p. 57.* Quibus addamus licet, praeter *Iulium*, *Hadrianum*que, *Ant. Perren.* *Granvellanum*, et *Ph. Cominaeum*, quos recenset *Iac. Pontanus Att. Bellar. P. I. p. 28.* *Mirandulam* item, *Chr. Longolium*, *Th. Bezam*, *Paschaliu*, *Gvyetum*, *Rob. Constantinum*, *Grotium*, *Vossium*, *Salmasium*, speciatimque *Berenicium* quendam, quos *Ant. Borremansius Var. L. III. & VI, capp.* promittit. *Comp. Morhof. p. 363. Polyb.* His enim, horumque similibus, eum non cessasse, liquet, quem *μνημονικώτατον*, et cum primis memorem, fuisse, ipse

ipse Libanius testetur. Eundem, subtextuit idem, adolescentes do-
cuisse ea, quae a veteribus pulcre scripta extarent. Qua voce illum
vult haberi fide quoque antiqua, ratione ad docendum bene subducta,
et iudicio magnum, exercitatione promptum, consilio denique prae-
sentem. Cui quidem LIBANIVS tanto opere devinctus erat, ut, con-
discipulis domum discedentibus, ipse a latere huius non discesserit,
more aut Platonis, qui ab Antimacho, *Cic. Brut.* aut Xenocratis, qui
a Platone, *Diog. Laert. IV.* aut Zenonis, qui a Xenocrate, *id. lib. VII.* aut
Diogenis, qui ab Antisthene *id. lib. VI.* aut Theopompi & Ephori, qui
ab Isocrate *Cic. de Or. lib. II.* aut Tullii, qui a Scaevola, *Lael. in initio*, di-
velli noluerunt. Similiter ac praeter ceteros *Alex. Fichetus* commo-
nuit, illis, qui paucorum mensium studio complurium annorum spa-
tia in literis facere velint, indagandum esse virum quendam egregi-
um, atque ingenuum, eundemque mordicus tenendum. *Hoc,*
inquit, de maximis arcanis est unum. Hunc tu hominem de meridie,
vel accensa face, quae aere, et per vestigia; hunc eme vel aureo monte, si potes.
Arcan. studior. meth. cap. III. Nec minore studio LIBANIVS cum li-
bro, quem ediscebat, magistrum per forum profectus est. Qualem
omnino auditorem informabat *Plato*, utpote quem φιλομαθῆν, φιλήθον
καὶ ζητητικόν, esse velle. *Polit. VI.* Hic igitur quum magistro insta-
ret quaeritando, ille discipulo, crebrius percunctanti, primum ini-
quo respondebat animo, postea vero industriam eius collaudabat.

III. Hoc studiorum adiutore, nunquam oblangvit, et, quae coe-
perat, ingenii, viriumque omnium, contentione, quinquennium adeo
transgredit. Nam ut pomis, et visis, et frugibus, non diem forte unum,
sed tempus quoddam longius, intra quod maturescant, natura con-
cessit: ita dandum est ingenio spatium, a quo grave amplumque ali-
quid, non leve & nugatorium, expectare velis. Neque aliud profes-
sio maius perficiendi operis impedimentum est, quam frequens et mo-
bilis transitus ad alios atque alios magistros, quorum quum diversi di-
versa doceant, sit, ut, si omnium horum explere animos velis, non pro-
grediare discendo, sed discere saepius incipere cogaris. At LIBANIVS
nec properavit temere, nec desultoria quadam levitate in scholis diva-
gatus est, verum existimavit, ita demum permagnas expediri difficul-
tates posse, si quidem labor circumspice suscipitur, si ratione regatur,
et constantia denique firmetur. Quo modo si urum haud erat, ut An-
nibal Alpes, nive geluque obstructas, perfringeret, ac transcenderet, nisi
nulla

nulla molestia eius aut corpus fatigari, aut animus vinci, potuisset. *Livius lib. XXI. c. IV. C. Nep. Annib. III.* Consimili laborum patientia Alexander ille M. externarumque gentium excellentes imperatores, tum e Quiritibus quoque Maximus, Marcellus, Scipio, & Pompeius, fortunam, ad magnas res gerendas divinitus sibi adiunctam, secuti sunt. Eademque Pater patriae emerfit, (*Vell II, 34.*) Caesar item, *vigore animi acerrimus, (idem II. 41.)* in amplissimum imperii fastigium elatus est, & M. Agrippa, *virtutis nobilissimae, labore, vigilia, periculo invictus, (id. II. 79.)* ac Maecenas, vir, *ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, providens, atque agendi sciens, (id. II. 88)* pluresque alii, eminnerunt, qui domi foris rempublicam auxerunt. Nam Minucius vere illud: *Audendo, inquit, atque agendo, res Romana crevit. Liv. XXII. 14.* Ac P. Cato, vir ille magnus clarusque: *Vigilando, ait, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt. Vbi socordiae te, atque ignaviae tradideris, nequicquam Deos implores: irati in se stique sunt. Sall. B. C. cap. LII.* Demosthenis autem principatum, quem in eloquentia forensi ille tenuit, postquam diu multumque admiratus est LIBANIVS, sibi demum interroganti, yndenam hic evaserit vir tantus? respondet ipse: eum sub-
ως αν μηδεις θορυβος εδουσιον παρεχων, εκκρη των περιχειριδιων τον λογισμον. *adi Vsum Isocrateum T. I 20, 21. pp. comparat, Plutarchum, & Cic. de orat. 1.* Haud segnius propositum LIBANIVS vrsit, praefertim quum valetudine satis prospera vteretur, praeterquam quod in vnum incideret morbum, quem attonitis afferre ictum fulminis, *C. Celsus lib. III. c. 26.* observat. Nostra refert, summatim intelligi, LIBANIVM habuisse in manibus *Aristophanis Acharnenses*, quum, tenebris obortis, tempestas intonuit, eique fulgure fulminisque iactu vitium attulit, quod ille deinceps, quoad vixit, non potuit funditus de-
lere.

IV. Iuvat meminisse *Aristophanis*, & per brevi reputare cum animo causas, quibus potuerit LIBANIVS ad eum cupide legendum induci. Quem quidem Comicum non magis ad elegantiam tersi sermonis, quam ad prudentiam, conferre arbitramur. Nam illud quidem constat, acrem sui memoriam in bonorum animis reliquisse facetissimi poetae effrenatam, ut in veteris comoediae impunitate, licentiam, qua non magis Cleonem, Hyperbolum, Cleophanem, Alcibiadem, quam Socratem, atque Euripidem, et optimum quemque, lacessere ausus est. Verum adeo nihil, quod ille serio dixerit, tanquam civis Attici lingua indignum, in-

eo, scimus, abs quoquam temere reprehendi, ut eo potius homine neminem ornatus, aut suavius, locutum esse, nobis persvadeat vetus illud, idemque dulcissimum, epigramma. In quo audias, Charites delubrum, quod nulla collabatur vetustate, sibi quaesivisse, et tandem animum, in quo sedem figant, Aristophanis invenisse. At quis tandem Plato tam argute luserit, nec Thomas ille Magister, qui eum recitavit versum, adiecit, neque expedire potuit ornatissimus Fr. Vavassor, qui de *Iud. dict.* p. 72. Ed. Paris. eundem e *ditionario Attico* extulit, quum haud inscite potuisset simul alterum laudare epigramma, quod, incerto scriptore, in *Anthol.* extat. p. 55. Ed. Ald. Platonem tamen, divinum illum, nihilo minus de Aristophane sensisse, e *Plutarcho* colligimus, quum ille ne Socratis quidem auctoritate impediri potuerit, ne obrectatoris huius, hostisque infesti, sermonem de amore in *Symposium* quoque suum referret. Quanto, itidem cogitemus, prudentiae testimonio idem eundem Comicum curarit ad Dionysium, Athenarum peramantem, ex eoq;, adiunxerit, poeta reipublicae huius pernosci statum posse. *Vid. Vita per Nic. Frischlunum, qui et comicum a Plutarcho defendit.* Erat igitur, quod ille Graecorum poetarum iudex, G. J. Vossius negaret, hoc homine quicquam vel magis Atticum, vel rerum civilium magis gnarum esse; atque H. Grotius fateretur, Aristophanem tempubl. patriam diligentissime versibus mandasse. *Praefat. in Excerpta.* Quae cum ita sint, coniiicimus quidem ante omnia, LIBANIVM, legendo Comico, poeticen attingisse, et vestigiis veterum instituisse. Haec enim, uti superius a *Strabone* accepimus, prima quaedam philosophia est habita, quae ineuntis morem aetatis humanitate imbuat, motusque animi compescat, et recte agere commonescit. Haec vero talia a Comico non abesse, siquidem nonnulla impure dicta, ut partes vitiosas, a cetero corpore recidas & segreget, documentis, in medium allatis, comprobaremus, nisi id evincerent sententiae, a *Mich. Neandro* excerptae, 468, 470, pp. comp. quae H. Grotius ex scriptis tam superstit. quam perdit. collegit a p. 526. ex Ed. Paris. Tanto minus, quod ponimus alterum, dubitandum est, quin LIBANIVS eiusdem lectione orationem quoque effecerit plenior, quanto verius dixit *Theophrastus*, studium poetarum, oratori plurimum adiumenti afferre, ap. *Fabium I. O. lib. X.* Praesertim quum hic adhuc comoedias illius duodetriginta legerit, utpote quas Chrysostrum, huius, ut infra monebimus, discipulum, lectitasse, comperiamus. Quo cum accederet ingenium, come illud et festivum, accrevit popularim gratia, quam in eo *Eunapius* laudat, nosque loco, magis idoneo, prosequemur. Putaemus, quod superest, eadem quoque lectione potuisse eum instruere civile

iudicium, quod subsecuta negotiorum tractatione corroboravit, et publicis
confignatum literis reliquit. Quem tamen, non contendimus, Aristopha-
nis tantum vnius angustiis mensum esse amplitudinem studiorum, quae in
tanta poetarum, philosophorum, historicorum, oratorum, multitudine,
ampliotem quendam campum eius solertiae aperiebant. Sic enim orator
exitere Graecus poterat, siquidem, apud Isocrateae instar, (*ad Demon. p. 23.*)
variis quidem floribus insideret, sed ex iis optima quaeque delibaret, vel ut
Basilii, illum imitatus, loquitur, *ὁσον αὐτῶν Δημοκρίτου παρὰ τὴν ἐργασίαν, l. me-*
morato, p. 87. Hinc per omnes omnium artium numeros iverant illa Grae-
ciae Latiique fulmina, Demosthenes et Tullius, (*Dialog. Laud. 30. et 32. capp.*)
qui ab eorum temeritate, qui philosophiae rudes, ad dicendum procure-
bant, (*Theon Soph. p. 1. cum Dialog. c. 32. compar.*) alienissimi, eos reddebant o-
ratores, quos *Hermogenes*, *π. ιδεῶν p. 362*, volebat, & *Dionys. Longinus* inter se
contendebat, *π. ἕτους p. 24.* Quamvis et illi, et *LIBANIVS*, cuncta fere ad
eloquentiam revocarent, ad quam naturae quodam impetu ferebantur.

V. Quare ne morbi quidem, quo conflictatus est Antiochenus, vis fuit
tanta, ut a libris eum abstraxerit, nec sine quadam prudentiae laude, praeter
superiorem magistrum, viros etiam eloquentissimos sibi conciliavit. Mirum
enim dictu, quanto sit commodo insignium consuetudo virorum, qui per
ludum nos doceant, quod multa sollicitudine ipsi adhuc didicerint, et suae
exemplo dignitatis ipsum gloriae ardorem in animis accendant. Nam quo-
modo lapis lapidi attritus igniculos elicit, et ferrum ferro exacui solet: sic
familiaris optimi cuiusque usus animos refrigerantes honestatis a-
more inflammar, et deterfa vitiorum rubigine, expolitos limatosque red-
dit. Quo minus est mirandum, si Euclides Socratis, Scipio AEmilianus Po-
lybii Panaetiique, Terentius Africani et Laelii, Cicero tot Graecorum,
quos domum invitabat suam, et Attici, Varronisque ac Luculli, Plinius iu-
nior avunculi, cum Fabii, Taciti que et Sillii, Gellius Phavorini, Orofius Au-
gustini, Melanchthon Capnionis, Melanchthonis D. Chytraeus, Sleida-
nus Bellaiorum, et Iac. Sturmii, A. Miraeus I. Lipsii, A. Schor-
tus Covarruviae, D. Heinsius Ios. Scaligeri, H. Valefius Petavii Sirmun-
di que, alii denique aliorum, familiaritate eruditi sunt. Falsusque est vir in
primis magnus, I. A. Thuanus, se litteratorum amicitia, quam suopre la-
bore, plus profecisse, ut ipse tradit de vita sua p. 1282. Ed. ff. Nimirum quod
Aristophanes ait, *ὄντε πῶν σὺν αὶ σοφῶν συνουσίαι*, id Seneca gravissime ex-
plicavit. *Paulatinus*, inquit, descendit in pectora, & vim praeceptorum obri-
vit frequenter audiri, aspici frequenter. *Ep. ad Luc. XCIV.* Sed *LIBANIVS* cum

VRO

vno tamen amantissime vixit, Iasione Cappadoce, homine ad dicendum non expedito illo quidem, verum industrio valde, qui multa, eademque memoratu digna, quae a maioribus natu acceperat, de Atticis rebus, atque in ita inibi dicendi certamina, narrare ei solebat. Quid multa? adolescens Graeciae studio incensus, vult Athenas ire, Nam aut nos vehementer oramus, aut hic iam pridem exoptaverat illam videre urbem, quam, nosset, appellari a *Thucydide*, lib. II. παιδευσιν τῆς ἑλλάδος, a *Diodoro Siculo*, lib. XIII, XXVII, κοινὸν πάντων ἀνθρώπων παιδευτήριον, hoc est, commune, et nobilissimum orbis terrarum gymnasium, si velimus interpretem *Servilium*, IV. F. XII. Hanc adire discupiebat, quae erat μαθήματα Πλατῶν, καὶ Δημοσθένος, καὶ τῆς ἀρχῆς τῆς πολυειδῆς σοφίας, fueratque olim λογῶν ἐργαστήριον, quam ipse appellat *Επιταφ.* p. 267, & *Decl.* XXIX, p. 656. *comparat Tull. pro L. Flacco.* Cuius etsi obsoleverat pristinus ille splendor: non pauca tamen ornamenta manebant. Fidem faciat *vetus geographus*, quem in Constantii aetate collocat *Iac. Gothofredus*, siquidem is Graecus est, nec potius Latinus, quem admodum ad Iulianum submonet *Dionys. Petavius*, scriptor Graecae, ut quidam rentur, ab I. C. conversus, denique redditus Latine. Tantisper tamen, dum res ad liquidum perducatur, eum audiamus Graecum. τὰς δὲ Ἀθήνας καὶ τῆ ἰσορῆα παλαιῆς καὶ τῆ ἀξίαν ὠνομαστῆριον καὶ μάθησι, ἐπὶ πολλῶν ἀγαλλματῶν ἐσηκῶτων θεμιμασὸν ἔστιν ὁρᾶν τῶν λεχθέντων τῶν παλαιῶν πλεμον, *cap.* XXXVI. Necdum extincta erat veneratio maiestatis antiquae, quae sacrum quendam horrorem animis iniiciebat, ut vel postero tempore elatus se gererent, qui hanc urbem vel aspexissent. Haud secus, ac *Synesius* de aequalium arrogantia conquestus est. ἀνατρέφονται δὲ ἐν ἡμῖν, ὡς περ ἐν ἡμίονοις ἡμίθεοι, διὰ τε θείων τῆν Ἀκαδημῶν τε καὶ τὸ Λύκειον, καὶ τῶν ἐν ἧ Ζήνων ἐφιλοσοφῶν, Ποικίλων, νῦν ἐκείτων ποικίλων. *Ep.* LIV. LIBANIVS igitur quamvis ingenii, et virtutis, fama patriam impleffet, ei que parentes suas nuptui collocare filias tanto pere studerent, ut dote inter se certarent: magno tamen animo delicias omnes libertate in literis vivendi oppressit, firmusque ingenii proposito perpoliendi, vel divinum coniugium, cum *Vlyssē Homericō*, *Odyssaeas*, praefumo Athenarum contemnendum duxit.

VI. Initio alias, ac ratus erat, ATHENAS offendit. Nam *Anacharsis* quidem, ab ultima quondam *Scythia* huc profectus, *Solonem* offendit, de quo dicebatur, πάντα εἰσέεικε καὶ ἦδη, Σόλωνα ἰδὼν τῆτο αἰ Ἀθήνας, τῆτο ἢ Ἐχάϊς. εἶπός σι ὅ ἐστιν ἡνίκος κανὼν. τῆτο δὲ γὰρ τῆς φιλοσοφίας τῆς Ἀττικῆς. *Lucian. Scythia* p. 61. At LIBANIVS, quem omnia se fellegerunt, vix ad audiendum admissus, magistrōs a discipulis parum differre, cognovit. Inquam sententiam postea

B 2 *Synesius*

Synesius Athenas in medio Athenarum sinu frustra quaerebat. *ὡς ἰδενὶ χυμῶν
 αἰνῶν Ἀθηνῶν σερμῶν* (neque aliter *LIBANIUS*, *ἢ ὡς αὐθιμῶν ἐπὶ ὕδεν σερμῶν ἀΨογυμῶ-
 ν*) etc. Ep. CXXXV. Nec melius de Sophistis Atheniensibus sensit suppari
 aetate *Isidorus Pelusiotas*, quibus quid tandem magna ducat laudi, non ha-
 bet, nisi forte, si Diis placet, *φιλοσοφίαν ἐν μόνῳ χημικῇ πρῶτον, περπερεῖα
 γνώμης, καὶ γλώσσης ἀλαζονείαν*, lib. I. Ep. CCXXXVII. Quae etsi postea scri-
 buntur, tamen ne his quidem temporibus *LIBANIO* meliora obtigerunt, su-
 amque hic vicem doluit, quoad indigni illi magistri, vel quos ipse subiratus
 appellat, *ποιῶντες κακοί*, de gradu depellerentur. Hic mirari convenit va-
 riam, commutabilemque, magnarum urbium fortunam. Eae enim quon-
 dam Athenae erant, quae solae, non Corinthus, non Thebae, non Lacedae-
 mon, sed ipsae, inquam, solae effecissent, ut nomine Graecorum non
 quaedam natio, sed mens, sed ratio, sed ingenium, intelligeretur. *Isocrates
 Paneg. p. 98*, et *Cic. Orat. I.* Eadem urbs, omnium nutrix disciplinarum, potu-
 erat una gloriari Aeschyle, Sophocle, Euripide, Aristophane, Menandro,
 Socrate, Platone, Xenophonte, Isocrate, Demosthene, Aeschine, Hyperide,
 Demade, Thucydide, hoc est, iis hominibus, in quibus natura, quicquid aut
 ad facultatem ingenii, aut ad eloquentiam, aut ad omnem denique doctrinae
 laudem, adiuvare possit, videbatur experta. His, credo, de causis non dubi-
 tabat *Lysippus* profiteri, stipitem esse, qui Athenas non viderit, cuique visae
 illae displicuerint, asinum merum, quicque, iis visis, abire potuerit, can-
 therium, quod haec urbs sit vere Graia, in *Eclog. Grotianis, p. 876*. Nunc eti-
 amsi ea barbaro dominatu nondum oppressa, necdum, communi cum A-
 lexandria Aegypti, Smyrna, Byzantioque fato, literarum experta esset, qua-
 lem *P. Gillius*, ab eoque *Iac. Sponius*, et alii, viderunt: eam tamen, pudori ce-
 rat civibus, omnis elegantiae parentem, altricem certe magistratamque, do-
 ctiores nactam esse, quos adolescentibus, quam viris, propiores haud inique
 iudicares.

VII. Quamquam his, ut diximus, loco deinde motis, alii successerunt.
 Quibus iam *LIBANIUS* quum collegam det civem quendam suum, haud equi-
 dem sciam, an Epiphanium nomen Syrum, quem *Eunapius* memoravit.
 Hunc saltem, Prohaeresiumque, ac Diophantum Araba, temporum spatio
 idem coniunxit. Atque hi quidem dicendi regnum inter se quasi partiebantur,
 quum obtingeret Diophanto Arabia, et Epiphanio, quicquid ad orientem
 solem spectat. Prohaeresio vero cedebat Pontus omnis, vicinique
 populi, Bithynia item, et Hellepontus, quicquid praeterea terrarum supra
 Lydiam per Asiam cis Taurum ad Cariam, et Lyciam, usque ad Pamphiliam
 patet, Tauroque continetur, tum Aegyptus, et quicquid ultra eam ad Li-

byam recedit. In tanto partium studio, quum alii in alias irent, LIBANIVS est delatus ad DIOPHANTVM, quum asseclarum insidiis caperetur, nec magis Eppiphano, quam Prohaeresio, abstineret. Ac Prohaeresium non adiisse eum, tanto profecto magis mirum videatur, quanto maiora huius viri omnia fuerent. Venustas corporis in feminam magis, dignitas in virum, cadit. Prohaeresius ad senectutem coloris bonitatem conservavit, hoc pulcior, quo procerior statura. Neque enim apta modo compositio membrorum in eo consentiebat, verum idem etiam, quomodo Turnus apud *Maronem* capite, sic pede vno inter aequales extabat, et cum procerissimis aetatis suae comparatus, referebat colossum, tanquam Esius Proculus apud *Tranquillum*. Iam eloquentia nunquam imparata, et divinae excellentiae memoriae, eum illustrabat. Aliquando enim de sterili quodam argumento copiose sciteque dissecuit, et deinde singula, quo erant ordine dicta, iteravit, scribis, qui orationem notis exciperent, ante commonefactis, ut observarent, si quorum forte oblitus esset. A Constante idem in Gallias accitus est, atque epulis inter purpuratos adhibitus, Romamque exinde dimissus, quae statuam, ei positam, inscripsit. REGINA RERVM ROMA REGI ELOQVENTIAE. *S. Iulianus in vita Prohaeresii*. Neque eo secius LIBANIVS abfuit a tanto viro, veritus, ne condiscipulorum multitudinem, et praeceptoris dignitate inobscuraretur, si fidem *Eunapio* habemus. Cuius tamen, neque id dissimulamus, discipuli quaedam erga Prohaeresium magistrum pietas nobis suspecta est. Quem occurrere, crediderit quisquam, Iuliani iudicio, quo is LIBANIVM magno Prohaeresio aliquando praetulit, quamlibet indignantibus, Acacio et Tusciano Phryge. *Svidas v. Α. Β. Α. Γ.* Diophanti etiam, fraude post compta, LIBANIVM fuit pertaesum. Quo derelicto, iam ipse dux sui ac rector, in illo dicendi studio summa ope niti coepit, quod ad maiores res praeparare ingenia solet. *Vide secundum P. Pitboeum, in calce Decl. Ed. Comel. A. Schottum ad Sen. rhet. et Io. Schefferum de stylo a p. 191.* Instructissima quidem aevi huius, praecedentisque, ingenia in oculis inhaerebant. Inter quae eminebant Prohaeresius, cuius mentionem fecimus, Iamblichus, et quos apud *Eunapium* legamus, licet. Ex superioris autem seculi ornamentis, Philostrati duo, Dio Cassius, Herodianus, Oppianus, Plotinus, Dionysius Longinus, Porphyrius, et plures, exsplendescabant. Mittimus Christianorum doctores, Clem. Alexandrinum, Origenem, eiusque discipulum, Greg. Thaumaturgum, Eusebium, aliosque, quorum eruditionem homines, qui Christianum nomen alioqui oderint, vel invitos magni fecisse, et scripta evolvisse, nemini obscurum est. Verum hic priscae memoriae aevi tota

mente repetebat, pariter ac Satrius Rufus, ipseque Plinius, *I. Ep. V.* parum contentus suorum, ne proxime quidem antecedentium, eloquentia temporum, quae etsi laude non vacabat, nec nullis, iisdemque decoris, ingeniis colebatur: recentiorum tamen Atticorum monumentis heroici gloriam seculi haud exaequabat. Quas LIBANI vigilias magnopere commendabat temperantia eius tam singularis, ut voluptates fugeret, ne pilam quidem attingeret, quoad Athenis commoraretur. Atque mores civitatis huius tum perversos fuisse, ipse addit; quos tam frequentes nationum concursus libidine, luxuque profuso, infamabant. Eademque adeo huius abstinentia tantopere homines movit, ut ii omni honore ipsum prosequerentur, eundemque amplecterentur medium, nec dissoluti minus iuvenes vererentur, eoque inspectante, humaniores se praeberent.

II X. Tanta gravitatis suae praemium tulit LIBANIVS, quum ibidem docere ingressus, duo, quae mox effulgerent, et splendore suo collustrarent orientem. lumina in disciplinam accepit. Nam *Socrates* quidem *H. E. lib. IV. cap. XXIV.* et qui eius auctoritatem sequuntur, Huic Antiochiae demum in manum dant *Basilium*, cui divinum humanumque decus, animo divino comprehensum, *magni* cognomen peperit, et *Greg. Nazianzenum*, quem excellens divinarum literarum scientia *theologi* nomino distinxit. Verum *Caes. Baronius, ad A.C. CCCLXIII.* Athenis potius utrumque audisse eum, pertendit. *Henr.* certe *Valesius*, Socrati, negat, rationem in iis constare, quae de Gregorio, Antiochiae erudito, ille memoriae tradat. Eundemque scriptorem ipsius confessione Nazianzeni refellit, eodem profecto iure, quo *H. Savilius Scholasticum* hunc, eadem pagina quinqvies in rebus Chrysostomi lapsum, castigavit, ap. *Gr. Caneum p. 193.* Potius igitur *Ph. Labbeus*, Athenis Gregorium convenisse LIBANIVM, putat. Ac quo minus illud Socrati assentiamur, Basilium Athenis primum in literis operam posuisse, Antiochiam isthinc ad LIBANIVM concessisse, epistola obstat, quam LIBANIVS ad Basilium scribit, cuiusque, miramur, ne in mentem quidem venisse *Valesio*, quum corrigere Socratem potuisset. *ἐγὼ γὰρ ἂν ἐπιλελήθοιμι σε νομίσεις, καὶ πάλαι νέον ὄντα ἠδὲ μὴ σωφροσύνη τέ πρὸς τὰς γεροντίας ἀμύχλω μενον ὄντων. καὶ τὰν τὰ ἐν ἐκείνῃ τῇ πόλει, τῇ τῶν ἡδονῶν βουλήσιν. καὶ λόγων ἢ ὁ μῦθον κεντημένον μεγάλην. ἐπεὶ δὲ ἀθήνας, δεινὴ καὶ τὰς ἀθηνῶν ἰδεῖν, καὶ τὸν Κέλσον ἐπεσθες, σιέχαρον τῷ Κέλσῳ τῆς σῆς ἐξήρτημένῳ ψυχῆς.* *Ep. II. ed. Ald.* Hic primum fatetur LIBANIVS, se olim Basilium, adhuc adolescentem, reveritum esse, quem viderit temperantia vel cum senibus certantem. Vidit, inquam, coram, non e longinquo audivit; quippe cum ipse Basilium Libanium loquatur, praeceptorem. *εἰ γὰρ τι καὶ ἡμεῖς παρ' ὑμῶν διδάχθεντες, ὑπὸ τῶ χρόνῳ ἐπελαθόμεθα.*

Ep. V.

Ep. V. Sed quum viderit Basilium in ea vrbe, quae voluptatibus abundarit, subdubitamus, Antiochiamne illam, an Constantinopolin, interpretemur. Nam nec Libanium Caesareae, vbi prius egit Basilus, docuisse, comperimus, necdum Basilium Athenas commeasse, Libanius indicavit. Quod si ab his vrbibus discedamus, per luxuriosam illam civitatem quispiam fortasse, qui Socrati quoquo modo consultum cupiat, acceperit Antiochiam, quam omnibus fluxisse mollitiis, et ceteri, et Libanius ipse, testantur. Aut, qui legerit in vita Basilii, eum Caesarea, multis auctum doctrinis, Constantinopolin pervenisse, solvisse inde Athenas, Athenis ad suos rediisse; simulque apud Libanium, cum Gregorio comparatum, eodem plane ordine legerit, Basilium in urbem quandam voluptariam venisse, Athenas inde demigrasse, et exinde in patriam se recepisse: is nimirum, per urbem illam (*δεικτικῶς* appellatam) eandemque *deliciis affluentem*, intelligere Constantinopolin malit. Quam quidem fuisse magnam illam, et delicatam valde, ex *Eunapio*, et aliis, ipsoque ex Libanio, et demum ex communi aularum more, liquido constat. Praesertim quum Libanium bis Athenis, bis Constantinopoli, fuisse, sciamus. Hinc, subdit Libanius, Basilium Athenas cursum direxisse, inde (non Antiochiam ad se accessisse, quod Socrati videtur, sed) in patriam, revertisse, et laborasse, *ὅπως ἂν γένοιτο θεῶ μακρῶν φίλῳ, ἢ σὺν ἕξει χριστιῶν*. Forsan igitur putemus, Libanium, quum primo Byzantium traiecisset, commodum in Basilium incidisse, indeque clanculum Athenas revertentem, ibi tantisper forte substituisse, dum Basilus Athenas sit appulsus, et pariter cum Gregorio hoc florentissimo dicendi magistro usus.

IX. Id si ita est, de quo alii quoque viderint, tam insigne amicorum parvltro manus nobis iniicit, nosque, quamlibet festinantes, in se morari cogit. Erant Basilus et Gregorius Cappadoces, alter nobilissima gente, alter honesto loco, nati, yterque genitus reipublicae bono Christianae. Puerilis disciplinae tirocinio domi posito, futurae magnitudinis fundamentum separatis temporibus Caesareae iecerunt. Praeiverat Gregorius iam pridem Alexandriam, quae in Aegypto doctrinarum copiis circumfluebat, quum Basilus postea Byzantium, indeque Athenas, commigraret. Quo ut pervectus est, omni humanitatis genere Gregorio coniungi cospit. Fratres hic credi poterant, aut si quid fratrum necessitudine copulatus est, qui vellent idem, idemque nollent. Exculti iam peregre, non rudes, habebant, quo se oblectarent mutuo, quum clarissimum vtriusque ingenium multo ante illuxisset, ac sigillatim Basilus principio animi angeretur, quod in ipso aditu Athenas minus, ac sperasset, doctas inveniret. Quibuscum tamen postea in

gra-

gratiam rediit, quam in eorum eventu rerum placatus est, fortasse tum praecipue, quum
 pariter cum Gregorio apud Libanium, similiter atque apud Himacrium Prohaeresum-
 que exerceri coepit. Mutuis igitur cohortationibus brevi effecerunt, ut invidiam ae-
 mulorum magnitudine doctrinae superarent. Quo fiebat, ut, sicuti Basilio, quum Cae-
 sareae adhuc degeret, docendi munus omnium suffragiis delatum erat: ita nunc Gre-
 gorius ad doctrinam, publice impertiendam, per vim deposceretur. Sed paulo post su-
 scepiam provinciam deposuit, propterea quod ambitionem modestia repressit, superbiam
 sanctitas abiecit, levitatem animi constantia coercuit, et Dei, quam suae, gloriae ambo
 servare maluerunt. *Id. speciatim in Θεολόγῳ, Basilii laudator, in Monodia, ex eo Bar-
 nius l. memorato. De Greg. adeatur Gregorius Presbyter, quem Iac. Billius in Latinum
 vertit. Comparantur, Socrates, qui duo haec ἐμπυρέματα τῆς πείσεως inter se con-
 tendit, H. E. lib. IV. cap. XXVI, et quae ad h. l. Henr. Valesius observat. De amicitia
 prius quae conf. Ep. Basilii et Gregorii, quae tanta fuit, et decreverint, συνείναι καὶ συμ-
 φιλοσοφῆν, idque ἐκ τῶν Αἰθιωῶν, ἐπὶ τῆς ἐκείσε Φιλίας, καὶ συμφύτας, et scri-
 bit ad Basilium Gregorius Ep. quae Ingolstadtii selectae exierunt, p. 15.*

X. Cuius memoria condiscipulatus, quoad uterque vixerunt, tantum valuit, ut animo-
 rum coniunctionem si quod differret tempus, certe dissolveret nullum. Scorsum Basi-
 lium tanti LIBANIUM fecit, ut eum literis colere non dubitavit. Tam caelum vicissim
 habuit Basilium Libanius, ut odio Christiani ritus nihil impediretur, quo minus Basilium
 diligentissime observaret. Sunt in manibus utriusque epistolae, utro citroque missae,
 quae honorem memoriae mandant, quem sibi mutuum, et cumulativissimum omnino, ha-
 buerunt. In tam angusto, quod plura excludit, spatio vnum illud pro honorificentissi-
 mo iudicii testimonio dicamus. Libanius quum Basilii literas sapientum non ita pau-
 cis, qui forte aderant, recitasset, hilari vultu, *νευικήμεθα*, inquit; at quum Basilio epi-
 stolarum pulchritudine concedat, laetari idem coepit. Verum antistes, qui ubique in sa-
 aestimationem aliorum se metiebatur, tantae invidiam laudis deprecatus est, et subof-
 fensus prope, illam, negavit, se agnoscere, qui satis habeat, si cum Mose, et Helia, et cum
 aliis, qui coelo cepti, beatissime vivant, versari possit, cum iisque loqui μὲν μὲν ἀληθῆ
 λέγειν τε ἀμαρῆ. Sed Libanius, tantum abfuit, ut mutata sententia, rem iudicatum
 resciderit, ut excusationem quoque, qua v. ebatur Basilius, literarum, quas denuo ab il-
 lo accepterat, exemplo refellere paravit. Nec prius desistit Basilium obsecrare, ne se
 discueraret animi, neu sibi eripiat τῆς παγχρύσεως (uis enim verbis petat) γλώττης
 suum; quam eum perpulit demum, ut reconciliatus ille responderet. *ὁκ' ἐμοί τῶν
 σῶν λόγων καὶ ἡδονὴν ἐστὶ καὶ ἡ ἀκάνθα, πρὸς μέγιστα πῶδον τῆς Φιλίας ἐκ καίσεα.*
 Hinc Basilius Libanium laudare consuevit, et, siquam ab illo habitum esse orationem,
 rescivit, eam literis exoravit, acceptaque incredibiliter delectatus est. Si quis erat, qui
 literarum amore flagraret, eum ad illum misit, eaque se dixit, non minus de adolescen-
 tibus se meteri, quam si soleant, qui sitientibus fontes recludant. Cappadocum igitur
 alios super alios, sed viritum, ad Libanium quum delegaret, suppeduit eum saliquando
 singulos tantum Cappadocum ad eum adducere, nec potius omnibus omnino adolescen-
 tibus persuadere, ut ad LIBANIUM proficiscantur. *Compara Epistola, et inter Aldinas, I.
 II, IV, V, VI, IX, et reliquas, eadem volumine comprehensas, quae, nil est causae, quae
 abrem alii eisdem Basilio, quae M. ibi, tribuamus, quum idem litterarum commemo-
 rari, quod inter hunc, et Oratorem Antiochenum intercessit, ipse
 quod quae Spidas, P. Βασίλειῳ, commemorat.*

94
110
390

Ipsę operam dat, vt incendium, quod pectus eius flagrabat, abstrudatur tantisper, dum emicet tuto, atque igne plurimo erumpat. Minus tamen Constantium celare consilium potuit, quum in eum omnium oculi conicerentur. Rescivit ergo Imperator benevolentiam, qua hic Maximum complectebatur, causamque eius spe imperii, quod secundum famam superiorem, vitro citroque iactatam, Iuliano philosophus confirmarat, contineri, magna voluntatis offensione cognovit. Ille vero iram indignationemque Imperatoris pertimescere, in omnem partem animum versare, templum etiam moliri. Adhuc illorum, qui pro religione vitam profuderant, memoriam cum laude, et bonis recordationibus, prosequi, cutem abraderę, vitę solitariae simulatione suspicionem regni appetiti tollere, anagnostae partes pro concione suscipere, agere quid vis, et pati. Sic enim sperabat, fore, vt Constantio inani sanctitatis ascitae simulacro imponeret, et temporariae prohibitae specie praestingeret aliorum oculos, ac frustraretur. *Socrates H. E. lib. III. cap. I. Sozomenus lib. V. c. 2. compara P. Martinium, in Iuliani Misop. praefant, et Celeberr. Rechenbergium, sibi de Iuliano, sacrorum desertore, ex insituto agit.*

IX. Sed de Iuliano mox amplius dicemus. In praesentia, qua demum fortuna LIBANIVS Nicomediae vsus sit, nosse interest. Nam ea est rerum humanarum lex, vt prosperis adversae misceantur. Praesertim quum gloria fere aemulationem, aemulatio, quae spe excidit sua, obreftationem, obreftatio malum, nescio quod, pariat, nec, nisi sublato demum aemulo, saepenumero conqviescat. Quo minus esse mirum debet, si LIBANIVS in ea vbe, in qua ora omnium, oculosque in se convertit, tantae invidiam dignitatis sibi conflavit. Aemulorum inde insidiis appetitus, pericula subinde adiit, iisque semel, et iterum cessit. Nec voluit tamen fugisse, sed secessisse, videri. Quo absente, si ebat, vt discipuli dissiparentur, propterea quod pars ad deteriores partem animos applicabant, pars in Phoeniciam, pars Athenas, digrediebantur. At nihil iam ad dignitatem accedere sibi posse, ratus est, quum Athenas evocaretur. Quod quidem ante se vlli, negat, obtigisse, vt Athenienses dicendi magistrum repetierint aliunde. Hos enim, per meritum erat, rhetorem quendam transmarinum tam cupide expetere, apud quos primum se extulisse oratorem, summam item dicendi vim et inventam esse, et perfectam Cic in Br. et de Orat. I. fatebatur. Idem ceteris gentibus cum sapientia, tum eloquentia, tantum praellare ferebantur, vt eorum discipulos aliarum esse nationum praeceptores, *Iso crates Panegy. p. 90.* praedicaret, ne ipsi quidem Quirites inficiarentur. Horum vrbs Velieio videbatur vna pluribus annis eloquentia, quam vniversa Graecia, vberiusque floruisse. *lib. I. cap. 18. incunite.* Nec defuerunt fortasse, qui moleste ferrent, et tacite morderent, sed refellere palam non auderent, vocem *Aristidae*, qua, aliorum eloquentiam, libere contendebat ille, non modo barbarorum, verum etiam Graecorum, ad Atticam illam pueros orationem esse. Solos denique Athenienses, pronuntiabat idem, tropaeum sibi erexisse, idque non caede fortasse partum, sed omnibus gentibus oratione, disciplinisque devictis. Ea tamen civitas, quam gentium eruditricem olim appellasset, peregrinum huius aetatis doctorem optabat. Ac, quae antehac ne Rhodium quidem, nedum Asianum, dicendi genus cum suo comparandum putarat, Syrum iam rhetorem, eundemque LIBANIVM, e longinquo in vitabat. Is autem honor quanta cum nominis sui amplitudine coniunctus sit, intellexit is praecclare, quum illum omnis fortunae caput nominaret. *Τουτι μὲν* inquit, *δὴ κεφάλαιον τῶν παρὰ τῆς δαίμονος ἀγαθῶν νομιστέον.* Hac aetate si redisset in vitam Romanus ille, ipsius Atticae Urbis confessione doceri poterat, quod memoria sua non existimarat, & corpora gentis illius in alias civitates, Byzantium, Smynam, Pergamum, Antiochiam, Alexandriam, Nicomediam sigillatim, discendi causa separata esse, neque amplius ingenia solis Atheniensium muris clausa. *Paterculus laud. l.* Hoc specimen prudentiae, quod LIBANIVS, animo moderatus, fatius duxit, delatum honorem modestę deprecari, quam eum, tam invidiosum, periculose in ea accipere vrbę, quae ad vnanarum incrementa limis aspicere oculis solebat.

101A

37.B.)

DE
LIBANIO

DISPUTATIO ALTERA.

Cuius modeste tuendae causa,

PRAESIDE

**M. IO. GVILELMO
BERGERO,**


Hala Saxone,

IO. DANIEL MAVRITIVS,
Mega Thymnicenf. Mifn.

In medium prodibit

A. D. Mart.

CIO. IOC. XCIIIX.



VITEMBERGAE,
Prelo SCHVLZIANO.

